uacant uidere quam suauis est dominus. Nec in sabbato esuriunt atque
ideo pigri sunt potestate a domino sabbati accepta uellere spicas et tam
diu uersare manibus contritasque purgare donec ad escam perueni
ant. Dic et aliquis quid tu tanta triturae disertationis huius quod
granorum excussisti quid euentilasti. Cur prope modum in questionibus
adhuc latent omnia. affirma aliquid eorum quae multa posse
intellegi disputasti. Cui respondeo ad eum ipsum me cibum sua
uiter peruenisse quo didici non haerere homine in respondendo.
Secundum fidem quod respondendum est hominibus qui calumniari
libris nostrae salutis affectant; ut quicquid ipsi de natura re
rum ueracibus documentis demonstrare potuerint. Ostendamus
nostris litteris non esse contrarium. Quicquid autem de quibuslibet
suis uoluminibus his nostris litteris id est catholicae fidei
contrarium protulerint aut aliqua etiam facultate ostendamus
aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum atque ita tene
amus mediatorem nostrum in quo sunt omnes thesauri sapientiae
atque scientiae absconditi ut neque falsae philosophiae loquaci
tate seducamur neque falsae religionis superstitione terre
amur. Et cum diuinos libros legimus in tanta multitudine
uirorum intellectuum quidem paucis uerbis eruuntur et
sanitate catholicae fidei muniuntur id potissimum diliga
mus quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus.
Sicut hoc latet id certe quod circumstantia scripturae non impedit
et cum sana fide concordat. Sicut et scripturae circumstantia
pertractari ac discuti non potest. Saltem id solum quod fides
sana praescribit. Aliud est enim quod potissimum scriptor sen
serit non dinoscere aliud autem a regula pietatis errare. Si utrum
que uidetur perfecte se habet fructus legentis; Si uero u
trumque uitare non potest etiam si uoluntas scripto
ris incerta sit sanae fidei congruam non inutile est eruisse

sententiam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc141/0030